

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem De Coeliaca Passione, Gratioussimae
Facultatis Medicae Indultu**

Kummer, Johann Gabriel

Basileae, 1709

[urn:nbn:de:bsz:31-41461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41461)

Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM
De

COELIACA PASSIONE,

GRATIOSSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ INDULTU.

In

ILLUSTRI ACADEMIA
BASILIENSI.

pro


LICENTIA

Summos in Arte Medica honores
& Privilegia Doctoralia ritè capeffendi.

JOHAN. GABRIEL KUMMER,
Durlaco-Marchicus.

Solemni Eruditorum ventilationi submittet.

Die 22. Febr. Anno MCCIX.
Horâ locoque solitis.



BASILÆ Literis Genathianis.

ak

113 E 4263 R

V I R I S

*NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, EX-
CELLENTISSIMIS, SUMME RE-
VRENDO, EXPERIENTISSIMIS,
DOCTISSIMIS,*

DN. JOHANNI JACOBO HARDERO,
Phil. & Med. Doct. & in Almâ hac Basil. Universitat.
Medic. Theor. Profess. longè meritissimo, S. Cæs. Pal.
Com. atque divers. S. R. I. Princip. Consiliar. & Archiatr.
Præceptorî suo omni cultu æternum venerando.

DN. JOHAN. BURCKHARDO MOEGLINO,
Med. Doct. Sereniss. Duc. Wittenberg. Consil. & Ar-
chiatr. dignissimo, Dn. Patrono, Fautori atque ex sacro
fonte susceptori suo optimo, omni humilitate semper
colendo.

DN. ROSINO LENTILIO, Med. Doct.
Regis Bruffiæ, diversorumque S. R. I. Statuum Archia-
tro, h. t. Physico Studgardiensî felicissimo, Acad. Leo-
poldino-Imperialis Naturæ curiosorum Collegæ,
d. Oribasio Dn. Patrono atque Fautori, itidem omni
honoris cultu demerendo.

Ut &

DN. MATTHÆO KUMMERO, Sereniss.
Princip. Badâ-Durlacensis Consiliario Ecclesiastico
gravissimo, Diocæseos Pforzheimensis Superinten-
denti meritissimo, & Ecclesiæ Pforzh. Pastori prima-
rio vigilantissimo, Dn. Parenti suo, omni filialis obse-
quii cultu ad cineres devenerando.



*Hasce Theses Medicas, studiorum suorum primitias, simulq̃
se ipsum in gratitudinis & observantia signum*

D. D. consecrat.

AUTHOR.



P R Æ F A T I O .



*E*ceptissimum est jam à longis temporibus, Lector benevole, ut ii, qui pro impetrandis in Arte Medica supremis honoribus, cathedram conscendere tentant, peculiarem quandam disputationis proponant materiam, quo suum in Arte medicâ studium & profectus, audientium coronâ comprobent. Mibi verò post exantlatâ consueta examina, & concessam publicè disputandi veniam, meditantî, quidnam ex florentissimo Medicinæ campo, amplissimo Asclepiadum Athenæo, tractatu non minus dignum, quam jucundum decerperem, subito, nec inconcinne se obtulit Fluxus iste dictus Caliacus qui etsi rarius accideret, non tamen frustra tribuimus ejusdem indagatiõni speculationes, cum hic & similes morbi periculosi, eò magis attonitos reddant Medicam praxin exercentes, quò vel à Practicis negliguntur, aut minus accuratè exponuntur. Quoniam autem hæc nostra in literarum studiis peregrinatio, sine supernâ luce, miserabilis quædam erratio est, dicente Scaligero, DEUM T. O. M. supplicibus veneror precibus, velit Is cœlitus clementiâ suâ nostris adspirare laboribus, quo omnia ad Divini Nominis sui gloriam, & ægotantius salutem cedant.



T H E S I S I.



E verò à solenni quæ hæcenus in Medicorum scholis obtinuit consuetudine recessisse videar, nevé imperfectionis inscribendo argui queam, saltem brevissimis onomatologiam attingam, circa quam tria veniunt observanda. Etymologia, Homonymia & Synonymia.

T H E S I S II.

Etymologiam Cœliacæ passionis quod attinet, cuius facile patebit, debere eam suos natales Græcis, derivatur enim *κοιλιακὸν* sc. *πάθος* à vocabulo *κοιλία*, quod in specie ventriculorum, in quem cibi masticati deglutiuntur, denotat, sicque si nomen spectes affectus erit ventriculi, si verò rem ipsam, intestinorum affectio est, uti inferius demonstrabitur. Latius acceptum vocabulum, *κοιλία*, denotat quamvis cavitatem, aliisque adhuc gaudet significationibus, quas omnes recensere, cum ad præsens negotium non adeò pertineant, supervacaneum esse duxi.

T H E S I S III.

Homonymiam quod spectat, sumitur cœliaca passio in foro Medico vel generaliter, pro omni alvi & intestinorum profusio, vel specialiter, pro illo saltem fluxu, in quo unà cum alvi facibus, etiam succus laudabilis, chylus nimirum per anum excernitur.

T H E

T H E S I S I V.

Quoad Synonymiam multa sortitur nomina, aliis enim cœliaca absolute, aliis passio vel affectio cœliaca, aliis alvi fluxus chylosus & morbus ventricularis audit. *Germ. Die Magen-Duhr.*

T H E S I S V.

Præmissâ definitione nominali, ad realem me accingo, & cœliacam passionem definio; quod sit alvi fluxus, in quo cum fœcibus alvinis particulæ chylosæ frequenter excernuntur, excrementis plus minus nunc cinericeis, nunc gryseis vel albicantibus, minusque solidis existentibus, cum subsequenti virium prostratione, vertigine & corporis emaciatione, ab impeditâ chyli à fœcibus alvinis secretione, vel ejusdem distributione in vasa lactea sufflammatâ oriundus.

T H E S I S VI.

Partem igitur affectam dicimus esse intestina tenuia, secus quàm veteres crediderunt, qui ventriculum heic pati existimarunt, quod alimenta in ventriculo in materiam chylosam palpabilem converti statuerunt, cum tamen ista functio intestinis tenuibus propria sit, & alimenta non nisi in materiam fluidam ac turbidam in ventriculo redigantur: hanc meam assertionem veram esse, testatur ipsa experientia, videmus enim quod alimenta in talibus ægris non cruda vel prout erant ingesta, per intestina & alvum delabantur, quemadmodum in lienteria observare licet, sed digesta & soluta, & qui illum perfectionis gradum attigerunt, ad quem in ventriculo, & ex parte etiam in intestinis tenuibus pertingere possunt: item quod taliter affecti non raro insignem habeant appetitum, præcipue ab initio morbi, id observante Foresto Libr. 22. observ. 26. in muliere, in qua appetitus adhuc fuit salvus, quod certè fieri non potuisset, si vitium gravius hæssset in ventriculo.

T H E S I S VII.

Generis loco ponimus fluxum alvi, ubi illicò liquet;
A 2
affe

affectum hunc inter symptomata recensendum esse, & quoniam hæc triplicia habemus, actionis scilicet, qualitatis mutata, excretorum atque retentorum, præcipue ad primum, tum etiam tertium illorum, passionem cœliacam referendam esse arbitramur: cum verò omnis actio iterum tripliciter lædi possit, dicimus hac in affectione secretionem chyli à fœcibus alvinis, vel ejusdem in vasa lactea distributionem, vel tantum non aboleri, vel graviter imminui, dum non omnis chylosa portio in vasa lactea recipitur, & propellitur. Neutiquam verò omnem chylum cum fœcibus excidere, sed quoque insignes portiones adhuc dum Massæ sanguineæ (nisi malum gravissimum fuerit) infundi, probant habitus corporis tractu temporis demum consumi incipiens, vires ad deambulandum aliasque actiones perficiendas aliquandiu sufficientes, urina naturali similis, aliaque his affinia. Potest etiam dici symptoma in excretis, quia alvus frequentius, quàm par est dejicitur, præterea tale quid excernitur, quod naturaliter deberet retineri.

T H E S I S V I I I .

Symptoma hoc morbum organicum ut plurimum pro matre agnoscit, videlicet obstructionem ductuum, præprimis bilarii, vel pancreatici, vel glandularum intestinalium, vel coalescentiam heic illic vasculorum lacteorum: ab obstructione suprâ dictorum ductuum, bilis & lymphæ pancreaticæ in intestinum duodenum influxus necessarius impeditur, sicque separatio utilium ab inutilibus minus ritè procedit: ab obstructione verò vel coalitione vasorum lacteorum, chylus omnis uti deberet non distribuitur, unde fieri aliter nequit, quin vel materia chylosa fœculentæ confusa, vel particula fœcibus alvinis solidiusculis innatantes vel permixtæ excernantur.

T H E S I S I X .

Ut proin in hac affectione chylum ipsum plus minus substantialiter, sive à fœcibus alvinis solutum & separatum, cum iisdem per alvum excerni firmiter afferam, succum nimirum illum lacteum, qui in materiam & fomentum succi nutriticii

ritii pro toto corpore faceſſere deberet, ut mirum non ſit ſi ab ejuſdem majore defectu facies palleſcere, corpus emaciari, viresque labafeſcere ſoleant, ceu in cauſarum examine magis patebit.

T H E S I S X.

Cauſas hujus affectus diſpeſcimus in proximam & immediatam, & hinc in remotiorem ſeu antecedentem & procatarticas. Cauſa immediata chyli à ſacibus alvinis ſecretionis laſa & hinc cœliacæ paſſionis proxima, eſt in primis chyli, imò & bilis viſcoſitas & inertia aut etiam lymphæ pancreaticæ & inteſtinalis, vel eorundem influxus in inteſtina tenuia præpeditus, ob mucaginem viſcidam, vel glandularum poros, vel etiam dictorum ductuum orificia obturantem: diſtributionis verò chyli ſufflaminatæ cauſa proxima, vel in obſtructione orificiorum vaſculorum lacteorum, à materiâ tenaci, vel eorundem coalitione poſt præviam exulcerationem quærenda eſt: in primis autem magna eſt ſupra dictorum in inteſtinum tenue humorum affluentium utilitas, utpote à quibus alimenta, in ventriculo ſoluta magis diluuntur, & ab eorundem particulis activis continuatâ inteſtinâ agitatione magis ſubiguntur, & præcipuè particulæ chyloſæ dulces & oleoſæ interventu bilis blandè volatilis & oleoſæ cum aqueis & terreſtribus, legitime combinantur; unde hac actione præpeditâ ac fatiſcente, neque particulis homogeneis ab heterogeneis, uti decet ſecretis, ab iſtarum acrimoniâ fibræ inteſtinales facile vellicantur, & inde fluxui huic janua aperitur: ubi verò vaſculum unum alterumve vel obſtructum eſt, vel coaluit, etiamſi ſaculentæ invicem combinentur & conſiſtentiam aliquam nanciſcantur, chyli tamen particulæ, dicta orificiola præterlabentes, iisdem in natate ac miſceri, & cum illis excerni poſſe evidens eſt.

T H E S I S X I.

Inter cauſas antecedentes numeranda eſt, partim Humoralis Maſſæ diſcraſia acido-viſcida, ob quam particulæ ferroſo-viſcidæ in ſanguine cumulantur & copioſè ad ſupra dictas glanduloſas partes ablegantur, hepar nempe, pancreas & in teſtinales glandulas: partim etiam morbi præcedanei,

uti

uti pertinax icterus , interdum dysenteria aut ulcus intestini tenuis , consolidatum quidem , sed ita , ut à cicatrice indurata , plura vascula oblitterentur & coalescant. In ictericis res evidens est , ductus extremitate vel mucagine viscida obducta , vel bile viscida , in ipso ductu moram gerente , & cum particulis suis salino-terrestribus in calculos non raro concrecente : post dysenteriam verò exquisitam & diurnam , vasorum ejusmodi coalescentiam vel obliterationem subsequutam fuisse , cum chyloso ejusmodi fluxu , experientia sæpius comprobavit.

T H E S I S X I I .

Inter causas procatarticas , omnia ea recenserem merentur , quæ mucaginem viscidam in Massa Humorali adaugere , bilem in erem reddere , vel ejus , simulque pancreatici succi & lymphæ intestinalis excretionem , in intestinum tenue sufflammare possunt : qualia sunt aer nebulosus , crassus , frigidior , cibi frigidi , humidi , viscidi , duri , flatulenti , facile corruptibiles , difficilis concoctionis e. gr. citrulli , cucumeres , melones , poma , pyra , pruna cruda comesta , item caro vetusta , falsa , fumo indurata , pisces , ostrea , cochlea , ova frixa , pasta farinacea , acetaria , lactinia , caseus , nimis pinguis , &c. Cujusmodi cibi omnes , quatenus vel mox corrumpuntur , vel ad crassorum viscidorumque humorum generationem multum faciunt huic affectui ansam præbere possunt. Neque hic silentio prætereundum censemus Saccharum & Saccharata omnia , utpote quæ ad generandos in corpore nostro humores viscidos sunt aptissima ; hinc etiam est quod in Anglia Rachitis tam sit familiaris , ob solum sacchari abusum , omnibus enim pultibus magnam sacchari quantitatem immiscere solent. *A frigida copiosa potatione affectum hunc illico produci testatur Aretæus de morbis diurnis libr. 2. c. 7. item à carnis suillæ & vervecinæ pinguioris esu largiore , & superingesto potu frigidiore , passionem hanc subsequutam esse , observavit Clariss. Mebius in Epist. Institut. Medicinal. libr. 2. p. 3. c. 5. p. 188. Superfedemus hic recensere , quæcunque huic malo pabulum subministrare possunt ex causis non naturalibus , uti otium , vitam sedentariam , nimium somnum , morfitiam*

fitiam, curas & sollicitudines, item potum paucum, mustum recens, vinum minus probè defœcatum, potum aquæ paludofum, spirituum ardentium crebram ingurgitationem.

T H E S I S XIII.

Affectus nostri differentias quod concernit, desumimus eas vel à genere, ratione cujus vel multum vel parum chyli, cum alvinis facibus dejicitur. Vel à materiâ quæ excernitur, & est chylus nunc simplex, nunc mistus vel alio modo se habens, Vel à causis, quæ nunc radicata est, ceu supra innuimus, nunc mitior, uti cum, ex ingestione nimia fructuum horariorum malum hoc subito infestat. Vel à duratione, cum alia diu, alia brevi temporis spatio affligit.

T H E S I S XIV.

Signa diagnostica coeliacæ passionis, sequentia sunt: tales appetitu fruuntur, more sanorum, in primis ab initio morbi, & nisi Ventriculus per *συνπάθειαν* sit coaffectus, de die ter vel quater dejiciunt, excreta nunc pultacea sunt, nunc magis solidiuscula, nunc cinericei nunc gryseicoloris, vel albicantia aut etiam confusa, quandoque faeces solidæ sunt, sed chyli particulis hic illic innatantibus perspersæ progressu temporis virium sentitur jactura, vertigo, corporis emaciatio, inde pallidi redduntur, & imbecilles, neque munera sua peragere possunt, sicuti robusti, & sani solent, ob succi alimentaris & hinc etiam spirituum defectum ingravescentem.

T H E S I S XV.

Signa causerum, utrum ab assumtis seu alimentis seu medicamentis hic affectus fuerit productus, aut num alius morbus præcesserit nec ne? partim ab ægro, partim ab iis qui præsto sunt sciscitari oportet. Utrum autem à distributione chyli in vasa lactea læsa, & hinc obstructione vel occlusionem totali vasculorum lacteorum aliquot, an vero à secretionem chyli à materiâ sæculentâ læsâ malum procedat, inde dignoscimus: in posteriori casu excrementa pul-

B

tacea

tacea magis sunt & indigesta, ob bilis & lymphæ pancreaticæ atque intestinalis inertiam; sin autem obstructions in pancreate vel intestinalibus glandulis non veniunt accusandæ, sed solius bilis defectus, grysea magis sunt vel albicantia, usque tamen consistentiam aliquam habent: in priori verò casu, ubi vasculorum lacteorum obstructio vel coalitio in causâ præcipuè est, neque coloris quem fæces habere debent, neque etiam consistentiæ ratione, multum desiderari potest, sed solæ chylosæ guttulæ superficiem ipsarum comitantes chyli perfectam distributionem sufflammatam esse demonstrant.

T H E S I S X V I.

Signa, quibus à cognatis affectibus differt, quod concernit, differt symptoma hoc i. à Lienteriâ, quod in hac assumta non mutata, sed cruda & prout erant ingesta, protenus per alvum excernuntur 2. à Diarrhœâ proprie sic dictâ, quod in hac omnis generis humores, præter alimentum & sanguinem, sine præviâ exulceratione tamen intestinorum deiciuntur 3. à Fluxu Hepatico, quod in isto sanguis loturæ carniûm similis, plus minus aquosus, per anum frequenter excernitur.

T H E S I S X V I I.

Prognosis quod attinet, dicimus affectum hunc, non prorsus contemnendum esse, inprimis in pertinaci dictarum partium obstructione, cum enim chyli secretio & anadosis, tum pro Massa Humoralis in suâ dulcedine conservatione, tum pro corporis nutritione, & etiam fluidi animalis restauratione necessaria sit, satis utique patescit, ni affectus hic tempestivè curetur, humores fatiscere spiritus absumi, totumque corpus lentâ tabe consumi necesse habere. Appetitus integer, sitis absentia, urina naturali similis, somnus placidus, atrophiam nondum summa, & virium robur nondum pessundatum, utcumque morbus diuturnior fuerit, felicem tamen successum spondent, ritè adhibitis congruis medicamentis & diætâ. Alvi fluxus chylosus,

fus, qui aliis gravioribus morbis junctus est, illosve exci-
 pit, aut cui alia Diarrhœa supervenit, sine magno periculo
 non est. Ubi sanguis flavus & purus unâ defluit, ultimum vi-
 ta discrimen ægrum mox subiturum significat. Qui abs-
 que evidenti causâ defuisse visus est, de novo quasi recidi-
 vam patitur, & ex levi commisso errore iterum affligit, te-
 ste Sennerto. *Si malum hoc vel à rupturâ vasorum, vel ma-
 gna & dens à cicatrice ortum traxerit, incurabile existit, nulla
 enim nota sunt hætenus medicamenta, quæ cicatricem in intesti-
 no tenui factam tollere, crustamque novam reparare possint, &
 quidem talem quæ transitum concedat chylo, ad lacteas venas
 propellendo, verba sunt Clariss. Sylvii prax. med. libr. 1. cap. 16.*
 propterea ad hujus affectus promptam curationem traden-
 dam nos accingimus.

T H E S I S XVIII.

Curam autem nostram instituimus secundum indica-
 tiones consuetas; quæ veniunt nomine curatoria, præser-
 vatoria & vitalis. Illa morbum respicit & causam proximam;
 ista causas antecedentes: hæc verò vires & sex rerum non
 naturalium legitimum usum. Affectus ipse tollendus est per
 ablationem causæ immediatæ & proximæ: viæ proin ob-
 structæ referendæ, humores viscosi incidendi, attenuandi,
 inertes acuendi, copiâ peccantes vacuandi, vasa quæ coa-
 luerunt, abstergentibus pro posse aperienda sunt. Eadem
 indicata requirit etiam causa antecedens, incidentia nimi-
 rum, attenuantia, volatilifantia, abstergentia, &c.

T H E S I S XIX.

Et quia pro hisce scopis consequendis, ex fonte Chi-
 rurgico, Pharmaceutico & Diætetico remedia necessaria de-
 promi consueverunt, paucis videbimus, quænam singuli sup-
 peditare possint. Chirurgiam quod attinet, vix putamus
 operam ejus in Cœliacâ requiri, quin potius rectissimè & sine
 ullo ægrotantis incommodo auxiliis ab eo expectandis nos su-
 persedere posse existimamus; Pharmacia verò præcipua, eaque
 quam plurima suppeditat remedia, ceu inter alia sunt amari-

cantia, Sale volat. acri constantia, inde etiam pro ratione blanda acida, aut etiam Sale nitroso abstergente prædita, rhabarbarina item, aliaque blandè vacuantia.

T H E S I S XX.

Ex vacuantibus, aliqua pro eluendis primis viis per alvum injiciuntur, alia per os assumuntur: illud consequimur ope clysterum, cujusmodi pro detergendâ vel abstergendâ mucagine viscidâ injici alias solent; quia autem ad intestina tenuia tales non pertingunt, etiam horum usum hic minus proficuum esse arbitramur. Quæ per os assumuntur, majoris sunt momenti, & inter hæc in primis commendantur & egregiè operationem suam edunt vina medicata, quorum ope unâ fidiâ duos dealbare possumus parietes, præparamus nimirum humores, incidimus, fluxiles reddimus, simulque vacuumus: ubi tamen observandum, quod sc. post prægressam dysenteriam, vasculum lacteum unum alterumve oblitteratum fuerit vel coaluerit, à vacuantibus & leviusculè irritantibus prorsus desistendum esse, siquidem apud dysentericos facies intestinorum interior satis tenera evadit: maximè verò locum habent, ubi glandularum pori, & etiam bilarii ductûs orificium viscidâ mucagine fuerint oppleti: Formula vini medicati sit talis

℞. rad. cichor.
enul. ana ꝑi.
cort. cappar. ꝑi.
hb. absynth.
chamad. r.
fumar. ana ꝑi.
rhabarb. el. ꝑvi.
fol. fenn. d. m. ꝑi.
sem. anif.
crem. tartar. ana ꝑi.
sal. absynth. scrup. ii.

Incis. & contuf. affunde aq. commun. & vin. alb. vet. ana ℥i. Dos. ꝑiv. singulis manè jejuno stomacho sumendâ.

T H E S I S XXI.

Abstergendi & deopplendi ergò, commendare hic licebit

cebit usum panaceæ solutiæ iteratum : inde juscula herbis
cochl. fumar. nasturt. aquat. raph. rustican. &c. alterata lau-
damus, quibus cum sumi possunt pillulæ sequentis composi-
tionis.

℞. diaphoret. martial. ʒi.
rad. aron. præparat. ʒβ.
sal. absynth. scrup. i.
ol. destillat. cinnamom. gʒii.
extract. fumar. q. f.
M. f. pil. ex ʒi. N^o. XL. consperg. pulv.
liquirit. Dos. pil. X. manè cum jusculo
sumendæ.

T H E S I S XXII.

Usuales etiam hîc sunt pulveres & quæ guttatim solent
exhiberi, uti Tinctur. Spir. Essent. &c. ceu sunt Tinct. mar-
tis vitriol. tartari antimon. sp. sal. ammon. anisat. menth. Essent.
absynth. Sp. aperitiv. Penot. cochlear. salis, vitrioli dulc. Elix.
vitrioli Mynsicht. &c. singula convenienti tempore & loco
cum vehiculo congruo. Formula pulveris sit sequens.

℞. pulv. antihect. Poter.
Quercetan. ana scrup. ii.
Stomach. Birckm. sine
rad. acor. nostrat.
oc. cancr, præparat. ana ʒβ.
tartar. vitriolat. scrup. i.

M. f. p. f. de quo sumatur ʒβ. provice.
Aliqui pulverem stomachicum Birckmanni solum, addito
pauillo ol. N. M. express. singulis manè & vesperi ad ʒi.
cum pane vino macerato commendant.

T H E S I S XXIII.

Neque tandem diaphoretica, nullius hîc videntur esse
momenti, si humoribus in Massa Humorali ritè præparatis
& fluxilibus redditis, adhibeantur, siquidem & hæc ferum
viscidum, glutinosum, attenuare, solvere, fluxile reddere,
& per vias cutaneas vacuare possunt.

T H E S I S XXVI.

Externè parantur balnea : hypogastrica regio oleosis
illinitur, v. gr. ol. chamomill. nucist. rut. lil. alb. cappar.
scorpion. hyperic. & similibus, vel imponuntur emplastra de
gumm. ammoniac. de crust. pan. de cicut. carminativ. Sylv.
cerat. fantalin. Balnea parantur ex sequentibus.

℞. herb. malv.

alth.

mercurial. ana miii.

meliss.

menth.

fl. lil. alb.

chamomill.

sambuc. ana mi. vel pii.

fem. lin.

scen. græc.

anif. ana ℥iii.

Incis & contus. dentur ad sacculum quadratum, in aqua
dulci coquendum.

T H E S I S XXVII.

Ubi à malo ægri liberati fuerint, imperandum præser-
vationis ergò remedium universale: ita ubi icterus præceda-
neus in causâ fuerit, aquæ Fabarienses vel acidulæ utiles erunt ;
ab hisce ipsis autem abstinendum, in coalitu vasculorum, à
prægressâ intestinorum exulceratione.

T H E S I S XXVIII.

Agmen claudit exactissima Diata : aër itaque eligatur
purus atque serenus, nocet crassus, nebulosus, frigidior ; cibi
assumantur euchymi & eupepti, exulent è contra viscidi,
difficilis concoctionis, & qui facillè corrumpuntur : inpr-
imis autem in hoc affectu non ad qualitatem modò, sed præ-
cipuè etiam quantitatem assumendorum attendendum est,
& quidem præprimis, ubi chyli secretio ab alvinis fœcibus in
causâ est, heic enim præstat parùm cibare, quàm cibus ven-
triculum ac intestina onerare : pro potu ordinario ℞. aq.
fon-

℞. Aq. fumar.
 card. bened. ana ʒiβ.
 fl. sambuc. ʒi.
 CC. ph. præpar.
 antimon. diaphoret. ana scrup. ii.
 fyr. de fumar. ʒi.
 M. Dos. cochlear. ii. vel iii. singulis
 trihoriis.

T H E S I S XXIV.

In coeliaca passione à bilis inertia ortum ducente, jus-
 cula nasturtina, omnia item amaricantia & sale volat. con-
 stantia, conveniunt, de quibus jam superius.

T H E S I S XXV.

Cum autem non raro hoc in affectu, ob spirituum de-
 fectum, tonus fibrarum, præcipue in ventriculo & intestinis
 insigniter lædatur, in primis etiam viribus prospicere debe-
 mus: utile itaque erit præscribere conservas roborantes &
 fibrarum tonum restaurantes v. gr.

℞. conserv. fl. tunic. ʒi.
 nuc. indic. condit. ʒii.
 confect. de hyacinth. ʒiβ.
 magister corallor.
 perlar. ana scrup. i.
 essent. ambr. gutt. iv.
 fyr. de cochlear. q. f.
 M. f. Electuar. de quo pro lubitu
 capiatur magnitudo nucistæ. vel
 ℞. Aq. borrag.
 cordial. saxonie. temperat. ana ʒi.
 cinnamom. buglossat. ʒβ.
 confect. alkerm. c. m. gutt. v.
 terr. sigillat. silf. scrup. i.
 fyr. de cinnamom. cydoniat. ʒiii.
 sacchar. perlat. ʒi M.
 Dos. cochlear. ii. vel iii. pro vice.

T H E

fontan, mij. bulliat, & inter bulliendum injice cinnamomi acutissimi ℥j. tegatur olla operculo, & coque tamdiu, donec ova induruerint, postea ab igne remove, addendo sacchari canti ℥ij. colaturam frige factam æger bibat pro lubitu: inter prandendum concedi potest vinum vetus *ὀλιγόφορον* modicè spirituosum, præcedenti decocto dilutum. Somnus atque vigiliæ, motus & Iquies mediocritatem servant; exultent curæ, mœstitia & sollicitudines, contrà æger, animo sit hilari & tranquillo.

T H E S I S XXIX.

Atque hæc sunt, quæ de affectu hoc gravissimo, brevitati studens, veritatem amans, obscuritatem, quantum possibile detestans dicere volui. Fateor equidem, materiam hanc melius à me diduci potuisse, verum quæ non à me hodie solidissimè, prout materiæ dignitas postulet, sunt enodata, in aliud commodius tempus differo, Benevolum Lectorem obnixè rogans, ut singula in dissertatione præsentis ruditer à me hæc proposita, pro suâ æquanimitate boni consulere dignetur, memor illius: Qui nunquam malè, nunquam bene.

F I N I S.



57/259



P R Æ F A T I O .



Receptissimum est jam à longis temporibus, Lector benevole, ut ii, qui pro impetrandis in Arte Medica supremis honoribus, cathedram conscendere tentant, peculiarem quandam disputationis proponant materiam, quo suum in Arte medicâ studium & profectus, audientium coronâ comprobent. Mibi verò post exantlatâ consueta examina, & concessam publicè disputandi veniam, meditantî, quidnam ex florentissimo Medicinæ campo, amplissimo Asclepiadum Athenæo, tractatu non minus dignum, quàm jucundum decerperem, subito, nec inconcinne se obtulit Fluxus iste dictus Caliacus qui etsi rariùs accideret, non tamen frustra tribuemus ejusdem indagatiõni speculationes, cum hic & similes morbi periculosi, eò magis attonitos reddant Medicam praxin exercentes, quò vel à Practicis negliguntur, aut minus accuratè exponuntur. Quoniam autem hæc nostra in literarum studiis peregrinatio, sine supernâ luce, miserabilis quædam erratio est, dicente Scaligero, DEUM T. O. M. supplicibus veneror precibus, velit Is cœlitus clementiâ suâ nostris adspirare laboribus, quo omnia ad Divini Nominis sui gloriam, & egrotantium salutem cedant.